lare ferreum iisdem cuſpidibus & clavis refertum, huic miſero Exken adducunt, & collum ejuſdem tam honeſto aureo vellere cingunt: interim manus poſt terga ligantur, funes inſuper per ferreum iſtum Collare inducentes, & in ſummum extrahentes retrorſum in ſemipatibulo ſuſpenditur taliter Cervice cinctus, proteſtatur de injuriâ tam coram Domino Deo, quàm coram hominibus. Invidi iſti reformati deſuper ridebant, & honeſto cælibi tanta patienti extorquere volebant, quod ne cor cogitaverat. Pendet interea abſque omni humano ſolatio fermè ſex horis vix cum extremitate pedum terram attingens, & intolerabilem torturam ſuſtinens. Interrogant num fateri velim, nec ne: at quid fatebor? reponebam, de quo mihi nihil conſtat; optarem ſanè, ut Dominus Deus ſignum in cœlis daret, & taliter innocentiam meam manifeſtaret; Pergit ulterius Petrus Exken his verbis; ſi me poſſitis convincere de propoſitionibus mihi exhibitis, Dominum Deum in teſtem voco, quia innocentiam ſuccumbere non permittet, ſicut & poſtea luculenter apparuit, addens hæc formalia, malle ſe abſurdiſſimam mortem ſubire, quàm falſum teſtimonium præſtare.

CAPUT XVII.

Petrus Exken ad mortem uſque torquetur.

PErgunt ulterius ſinceram miſeri conſtantiam inauditis tormentis tentare. Reſpondet Exken, optarem, ut Dominus Deus terram aperiret, & me vivum abſorberet, ſi unquam exhibita mihi mendacia ullo veritatis fundamento nitantur; addens deſuper

per taliter se jurare nolle pro totius mundi divitiis. Verùm feroces hi tyranni talia flocci pendebant continuò inquirentes : ex tuâ confessione crimina hæc scire volumus. Rogat Exken vi tormentorum ad desperationem redactus carnificem, ut vel caput amputet, vel cervicem laqueo cingat, ut tandem hujus miseriæ coram Deo, & proximo inauditæ finem consequeretur. Sed quid fit? Respondent isti velut in Barbariâ nati homines : taliter totâ nocte pendebis, ni fateri velis. Quæ minæ talem terrorem docto isti viro, & semivivo Cælibi incusserunt, ut talia fateri, & fingere coactus sit, quæ nunquam in cor honesti civis descenderant. Clamat ergo : ah dissolvite, dissolvite me, omnia mihi nota vobis revelabo. Dicit igitur supplicam Marchioni Spinolæ destinatam Ruremundæ accepi in diversorio proximo Carthusiæ, ubi & cum latore proditore isto Mathiâ aliquot amphoras cerevisiæ biberat, quamvis suâ vitâ Ruremundam non vidisset. Dum ergo Secretarius tribunalis militaris prothocollum formare incipit, ait Gubernator: *Ghy en behoefft sulckx niet te scryven, want ick weet voor seker, dat het geloogen is*; Deinde jubet denuò carnifici, ut innocentem altiùs in Collari isto ferreo suspendat addens : vir quidam plateam Molarem incolens hanc supplicam tibi tradidit. Terrore tormentorum perculsus Exken respondet : Mathias Mom hanc mihi attulit bibentes in bonum successum aliquot amphoras. Hæc isti confessui arridebant. Interrogant ulterius : quodnam fuit contentum literarum & quæ addita munera ? Respondet Exken, de his negotiis mihi nihil constat, nisi quod audierim quinque cives eandem supplicam subsignasse. Rapitur mox jussu Gubernatoris rursum miser ad ferream

istam

istam torquem, & altiùs suspenditur his additis: plures subscripserunt. Taliter pendenti nomina omnium captivorum præleguntur, vi torturæ omnes ei propositos articulos affirmat; præterquam quod Adm. Rdum Patrem Priorem in Gaesdonck, & Patrem Henricum, nec non Hasenbergh ab hâc conspiratione immunes pronuntiet. Hæc Secretarius Prothocollo inserit. Pergit ulterius Exken, Bruxellas veniens per Amplissimum Doctorem Melty vocatum eandem supplicam Illustrissimo Marchioni tradidi, & ex ejusdem servis intellexi Civibus Gochensibus per quendam Petrum nuntium Clivensem gratiosè responsum fuisse; verùm se nescire ad cujus manus hæ literæ pervenerant. Ad robur quoddam, & confirmationem hisce extortis mendaciis addendam prosequitur sermonem suum Exken dicens: conjugem præmemorati Marchionis è vivis ereptam esse. Hanc mortem, & ingressum mariti in quâdam Abbatiâ veritati sciebant congruere, quapropter reliqua confessa facilè admittebant, jam de adeptâ victoriâ sibi gratulantes. Addebat Exken Patrem Suppriorem in Gaesdonck à se interrogatum, num omnia benè constituta forent: dixit: ita. His per torturam honesto isti cælibi effractis calumniis è collari dimittitur, & per Secretarium confessio facta prothocollo inscribitur.

CAPUT XVIII.

Miserabilis renovata tortura Petri Exken.

His peractis Petrus Exken rursum ex ferreo isto collari dimittitur, & ad focum ibidem accensum deducitur, quo in loco miles quidam eidem quasi par-